

DEFINITIONES EC

CLESIASTICORVM DOGMATVM. DE FIDE. CAP. I



ATREM credimus, eo quod filium habeat. Filium, eo quod patrem habeat. Spiritum sanctū, eo quod sit ex patre & filio. Pater ergo principium deitatis: qui sicut nunquam fuit non deus, ita nunquam fuit non pater: à quo filius natus, à quo spiritus sanctus non natus, quia non est filius: neq; ingenitus, quia non est pater: neq; factus, quia non est ex nihilo, sed ex deo patre & deo filio deus procedens. Pater æternus, eo quod æternum habeat filium, cuius æternus sit pater. Filius æternus, eo quod sit patri coæternus. Spiritus sanctus æternus, eo quod sit patri & filio coæternus. Nō confusa in una persona trinitas, ut *Sabellius* dicit: neq; separata, aut diuisa in natura diuinitas, ut *Arrius* blasphemat: scilicet alter in persona pater, alter in persona filius, alter in persona spiritus sanctus. Vnus natura in sancta trinitate deus pater, & filius, & spiritus sanctus.

*Et deo filio, nō erat
in uetus codice.*

*Vnde colligitur do
gmatis antiquitas,*

DE INCARNATIONE CHRISTI. CAPVT II.

On pater carnem assumpsit, neq; spiritus sanctus, sed filius tantum: ut qui erat in diuinitate dei patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius: ne filij nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna nativitate filius. Dei ergo filius factus est hominis filius, natus secundum ueritatem naturæ ex deo dei filius, & secundum ueritatem naturæ ex homine hominis filius: ut ueritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utraque nativitate filij nomen scando haberet, & esset uerus deus, & uerus homo unus filius. Non enim duos Christos, neque duos filios fatemur, sed deum & hominem unum filium. Quem propterea & unigenitum dicimus, manentem in duabus substantijs sicut ei naturæ ueritas contulit, non confusis nativis, neque immixtis sicut Thimotiani uolunt, sed societate unitis. Deus ergo hominem assumpsit, homo in deum transiuit, non naturæ uersibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed dei dignatione: ut nec deus mutaret in humanam substantiam, assumendo hominem, nec homo in diuinam glorificatus in deum: quia mutatio uel uersibilitas naturæ & diminutionē & abolitionem substantiæ facit. Creditur à nobis sine confusione coniuncta sancta trinitas, sine separatione distincta. Natus est ergo dei filius ex homine & non per hominem: id est, nō ex uiri coitu, sicut *Ebion* dicit, sed carnem ex virginis corpore trahens, & non de cœlo secum afferens: sicut *Marcion*, *Origenes*, *additū ē.* *Euticius*, & *Euthyces* affirmant. Neq; in phantasia, id est, absq; carne, sicut *Valetinus*, à sole, id est, neq; putatiue imaginatum, sed corpus uerū. Nō tantum carnem ex carne, sicut *Marcianus*, sed uerus deus ex diuinitate, & uerus homo ex carne: unus filius in diuinitate uerbum patris, & deus in homi

Matris additū est.

*Alias * in deo.
Creditur additū est.*

*origenes.additū ē.
Sic lege, sicut Vale
tinus. Neq; dōκτορ
id est, putatiue. Sic
lege etiam in princi
pio libri de carne
Coristi, p̄ tocoxin.*

Dd 3 ne anima